Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ Januarii.

M. ÆGIDIO LE BEL, Conſiliario, Sereniſſimæ Aurelianenſium Duciſſæ Medico Primario, Præſide.

An animi morbis Medicina?

TOTUS homo à naturâ & nativitate morbus, non animo minùs puerascit, creſcit, ægrotat, ſeneſcit & occidit, quàm corpore: fatum ineluctabile, illi commune cunctis cum animantibus, à primordiis contentioſæ hoſtiliter indolis ortum; quæ dum amicè collimant, quod rarum, vitæ fovent lares, lethumque properant, cum diſſident, quod frequentius. Sit licèt venter docilis, beneque moratus ſalubri ſe referciat eſcâ; ſis licèt omnino tutus à gulâ; omnes queis jugiter, miſerè & inſidioſè torqueris animi affectus, lubrici & præcipites ſunt ad morbum & interitum gradus: unde vita brevis & velut umbræ tranſitus, noſtro ſimul & naturæ errore. Nec eſt ſciſcitari, quæ ſit perturbationum, cupiditatum & morborum animi parens, corpus an animus; ſub judice non lis eſt; ab utroque fonte ſcaturiunt, & quæ regere hominem & corpori præeſſe fertur mens, non frænat, ſed commovet; non frangit, ſed interdum ſtimulat; non compeſcit, ſed exacuit; & vitiant artus ægræ contagia mentis. Ne tamen opineris cauſis ideo morbificis animam oblædi, & fore Libitinæ prædam: Quandiu materiæ copulatur, trahitur extra metas, cum in animi pathematis, tùm ejus in ægritudinibus; in quibus quotidie titubat ratio; cæſpitat animus; aberrat quoque mens; & objectorum vehementiâ rapitur extra cancellos. His procelloſis æſtibus ſedandis appetitûs ſentientis, præcepta moralia in exhedris Philoſophorum laborioſè congeſta, in vanum ſunt auxilio. In animi morborum impetu, mens materiæ deſponſat injurias; & corpus onuſtum heſternis vitiis animum quoque prægravat unà; atque affigere videtur humo divinæ particulam auræ.

ANIMUS non anima, ſed corporis & animæ ſimul agentium actus præcipuus, gravioribus, imò & curatu difficilioribus afficitur morbis; quidni? etiam hæreditariis, quàm corpus. Anima enim huc uſquè incomprehenſa, necnon incomprehenſibilis, de cujus eſſentiâ ridiculè admodum obganniunt Philoſophi, qui eam definire contendunt, non aqua, non numerus, non ignis, non calor nativus, non ſanguis, non ἐντελέχεια, non actus corporis organici poteſtate vitam habentis; ſed quantum concipi poteſt, vitale flamen, auraque ſpiritalis, innata, à Divinitate effuſa; functionum corporis viventis principium & cauſa; in homine unica; at vi & virtute triplex; ſolâ fide immaterialis perſpecta; corpori obſcurâ unione & vinculis dictu inexplicabilibus concatenata; veluti rea incarcerata, vices & viciſſitudines ſubit ergaſtuli; libera tamen quandiu ſui juris; ſed compedibus corporis quaſi involuta; ut ſervi ergaſtularii; morem gerit materiei; & ſpirituum corpuſculorum alioquin tenuiſſimorum fere atomorum, ſi velis, faventibus auxiliis, tota in toto, & tota in quâlibet parte, pro perfectiori aut imperfectiori organorum conformatione, & juſtâ vel indebitâ temperiei diſpoſitione, alacriter aut deſidioſè vegetat: dum ſibi ſuiſque providet; obtuſè aut acutè ſentit, dum urgetur perturbationibus; rectè aut malè ratiocinatur, cum ſenſuum exploratorum ſatellitio imaginatur, intelligit & meminit; unde quamvis ſui ſemper ſimilis, & naturâ ſuâ immutabilis, alienas nihilò tamen minùs, corporeas videlicet ſuſtinet motiones & mutationes: quocirca animi moribus præeſt temperamentum; nubila mens & vincta frænis, tuta etiam timet, verenda ſtolidè ſpernit, colenda odit, odioſa deperit, adverſa cupit & ſitit, ex minimis ſtomachatur, levi & nullâ datâ occaſione gaudet & dolet, abſque cauſâ furit & ferit, rarenter aut nuſquam ſapit, ut plurimum deêrrat, hallucinatur, atque delirat. Hinc homo ſibi ut homini lupus, milleque malis animi ut vitiis divexatur.

SUPINE' admodum & multiformiter ſe habent animi, prout fœdâ & multifariâ ſcatent illuvie corpora, venoſumque genus variis humoribus vitiato refertum eſt crüore. Hinc quamvis animæ naturâ & dignitate pares, major tamen ineſt animis, quàm corporibus & vultibus diſſimilitudo; quòd illæ immutabilitatis dotis, hi commutationis ſortis ſint participes; unde tam diſpar morum & animorum diſcrimen, qui à corporis contage molliter exciti apprimè ſtimulantur paſſionibus ad boni ſtudium, aut mali fugam; effrænatè verò perculſi enixè vexantur ægritudinibus. Hunc ſubit & ſubigit in ſui perniciem perſonatâ dulcitudine, ſuavis initio, dirus poſtmodum & inenodabilis amor, vigiliarum comes aſſiduus, mœroris, angoris, & ſollicitudinis fons uberrimus, omniumque ferè malorum Lerna, ut & multorum morborum Excetra. Illum ira, furor brevis, rabies dein evaſura, adverſa quieti & nuſquam ſeneſcens ut zelotypia, mentis impotem reddit; & properato derepentè intùs foràs, nonnunquam foris intrò, quod pejus, ſanguinis & ſpirituum motu, univerſam corporis molem inflammat; & incentivo poſthàc ſanguinem humoreſque dum retorret æſtu, rationem ſubigit, & de ſuâ ſede dimovet. Is, effuſâ lætitiâ, ingentis doloris & luctûs prænuntiâ, geſtit, exultat, bacchatur, & quod putavit fore gaudium, id extitit exitium; quod ſi vehemens, repentinum, & inexpectatum, ita fatale, ut ſyncopem & ſubitaneam necem accerſat: quæ fere ſimilia odium ſævit in nos ſymptomata. Cui verò ancipiti mens anxia obſtupet formidine, coërcitis intùs ſpiritibus calore perfuſis, cor nimio ſanguine & fervore impetitur, premitur & obruitur; algeſcunt ſudore frigido partes extimæ: torpor occupat artus; horrore rigent comæ, vox faucibus hæret: ac veluti flamma in anguſto conclavi coarctata marceſcit & extinguitur; ſic in timore; peſſimo rerum interprete, concidunt vires, flacceſcunt, & hebeſcunt ſpiritus; pallet, contremiſcit & languet corpus, ejuſque tota invertitur œconomia, alvo ingratìs ſolutâ, & urinâ invitò profuſâ; caneſcunt quoque interdum derepentè capilli, ipſaque mens eſt in tergoribus. Nec mœrore minùs afficitur animus, quàm affligitur corpus; qui ſpiritus innatumque calorem dum obterit, menti tenebras & caliginem offundit; dum corpus perpetuis exſiccat vigiliis, animum trahit in aberrationes & hypocondriacos affectus; dùm concoctionem labefactat, ſanguinem & humores incraſſat, exaggerat, exuritque ſuccum melancholicum, animum ſimulàc vertiginis, epilepſiæ & fatuitatis labe inficit. Quàm multos quoque videas lucis uſuram reddere faſtidioſâ excarnificatos ſuperbiâ (*Inquinat egregios adjuncta ſuperbia mores*) urit miſerum pectus avaritiæ fœdiſſima nutrix ambitio: utraque vigilantibus excita curis proprias depaſcit medullas, cùm aliorum invidet ſorti & auro, ſibiquè indulgens & livoris comes, creſcit in immenſum, & alterius rebus marceſcit ſecundis; atque pro diverſâ cujuſcumquè temperie, variè corpus & animum obledit atque violat. Nec verecundia ſalva ſemper res eſt, bonæ licèt indolis ſoboles, Diodoro, & Homero olim capitalis; quæ exolutis affatim ſpiritibus, aphoniam infert, & interdum è medio tollit ægrotum. Eodem calculo, zelotypia amoris, gloriæ, & ambitionis fidelis aſſecla, ſolis ingenioſis & ſolertibus intimè, non fatuis & bardis, familiaris, ſagacibus idcircò belluis non ignota, corpus & animum, diceres animam, ſi ſentires, ita inordinatè impatienter, & impotenter exagitat, ut omne tollat ſævioris perturbationis & ferocioris animi morbi punctum; nulla illi mora, nulla requies, nulluſque modus; ubique incendium, quo viſcera conflagrant & exæſtuant ſpiritus.

QUI fit? amabo, ut multimodi tot populorum mores à ſe invicem tantoperè diſtent; ut tantæ tot hominum tamque diſpariter concitentur paſſiones; ut diſſimiles tot animorum naſcantur morbi; diſcrepantes tot mentium virtutes propalentur; varia tot ingeniorum appareant vitia; tam maximè diſſidentes tot Sophiſtarum excogitentur opiniones; & diſpariles tot Philoſophorum, tot Judicum, totque Theologorum habeantur ſententiæ? An putas, haſce tot diverſas mortalium motiones & mutationes ab animâ alioquin immutabili proficiſci? Neutiquam ſanè, ſed prodeunt partim ex infinitâ penè elementorum mixturâ, unde numeroſa exurgit temperies; partim ex multiformi meatuüm ſtructurâ, quæ ſimul à commixtis parentum ſeminibus, calore vivido & ſpiritu animato perfuſis, cum virtutibus & vitiis in progeniem tranſmittuntur; redit ad authores genus, ſtirpemque primam degener ſanguis refert: Oriuntur quoque partim ab aëre, cœlo & ſolo; *Temperie cœli corpuſque animuſque juvatur*; Ver novum blandis dum aſpirat favoniis, florido nitet colore facies, & gratiſſima menti affulget hilaritas; ventres hyeme calidiores, animi triſtiores; Thebani agreſtes; Orientales Septentrionalibus manſuetiores & prudentiores; Aſiani Europæis animo & mente inferiores; Ægyptiacæ mulieres veneris impatientiſſimæ: necnon etiam illæ corporum & animorum viciſſitudines, partim à cibo & potu proveniunt: Quanti enim intereſt ad vitam alimentum, & ad ejus diuturnitatem caſtigata vivendi norma; tanti ad frænanda pathemata certus cibariorum modus; & abigendis animi malis apta ſeveraque victûs ratio: adeo ut natura ſimul & medicina, hominum ſalutis perſtudioſè æmuli, corporis & animi vitia valeant emendare, unamque hanc unà curam habeant præcipuam, ut quæ extant omnia, etiam quæ veneni ſpeciem præ ſe ferunt, ſe dent & cedant in humanæ ſalutis uſum: Hâc vel illâ veſcendi lege, aut exlege quidlibet edendi conſuetudine, puri vel impuri ſpiritus, defæcatus aut fæcatus ſanguis acceptam ab eduliis integritatem aut ſpurcitiem invehunt animæ, & offenſam, ſi Platoni & Galeno fides; nobis verò chriſtianè credentibus in animum, qui bene aut malè revera ſe habet, ad laudabilem & perverſam ſanguinis & ſpirituum temperaturam; iracundus ſi ſervidior, benevolus ſi temperatus, ſegnis ſi frigidior, ſi concitatior audax & temerarius, ſi ſiccior prudens & ſagax, ſi humidior ſtupidus & amens: Unde alliatis & piperatis ferventior factus ſanguis, & tumultuoſiores redditi ſpiritus, proniorem præſtant animum, tum ad iram, tum ad venerem; *Excitat ad venerem tardos eruca maritos*; cum Cerere & Libero non friget Venus; vinum ita obumbrat ſapientiam, ut ex convivâ ſuperciliosſo & ex Catone morio fiat & hiſtrio; indefeſsâ crapulâ, ingeniorum peſte, immergitur animus, mentiſque aciem obtundit ingluvies; ſic lurcones corpore ſaginantur, animo macreſcunt; abſtemii ſolertes & perſpicaces? tantùm ad animi virtutes, ſicut & morbos conferunt cibus & potus.

TOT & tantis animi morbis ſi velis occurrere, per te licet, ni tuus gratiſſimus error manus recuſet auxiliares: ad ſacram medicinæ anchoram quàm velociſſimè confugias: opprime dum nova ſunt animi mala ſemina morbi; nam ſerò paratur præſidium, cùm mala per longas invaluere moras. Ab incunabulis natalium primò vitia reſarcias eſt operæ pretium, apto & opportuno nutricis lacte, cum liberaliter bene inſtitutâ educatione, optimis fœtâ & fretâ exemplis; ut naturam, quantùm fieri poteſt, expellas furcâ, nec uſque recurrat: ſit tibi vivendi lex & regula: temperatus evades, ſi temperiùs vivas; & magis ac magis in nos ſævient animi perturbationes & morbi, quò plus turgebit humoribus corpus: ex inſenſiſſimâ animo, variorum diſſimiliumque multitudine eduliorum, ſub quorum ſarcinâ & pondere, ut gemit corpus, ita obrutus calor nativus languet varietate diſtractus, mens quoque à ſeipſâ diſſidens ſecum diſcordat: nam ſtatim atque ſimul aſſis miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis, dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum atque animo lenta feret pituita; ſic ſanguineus in pituitoſum vertitur, bilioſus in melancholicum commutatur. Numne iracundiâ percitum & ferocientem ſerenitati priſtinæ reſtituet ad lipopſychiam uſque, ſi ſit neceſſum, venæ ſectio, aut tenuiſſimus victus, vel largus frigidæ hauſtus. Numnè? cæcum amoris ignem valent extinguere, labor improbus; intricata negotia, adverſa fortuna, graviſſimus morbus, fuga, ultrà ſatietatem & vires ἀφροδισιασμός, largiſſima cruoris effuſio, frequens caphuræ, lithoſpermi aut nenufaris uſus; quibus catullientis ſeminis œſtrum orgaſmumque compeſcere & ſui impotentem amantium amentium Zelotypiæ furorem arcere, non ita perarduum eſt. Numquid? ſecurum & audacem ex meticuloſo liberalis præſtat meri potus; quod idem queunt efficere quàm plurima alia medicamina, ut opium; ſicuti quoque perplexis cogitationibus theriacam conſulit Galenus, forſitan potiùs recentem, ut mœrori coccinum, & tædio tabacum. Nec inquinabit ſuperbia mores, ſi ſors fortunæ peſſima, & res ſanitatis minimè ſecundæ; nec regnandi dira cupido uret per multos dies ſuperbientis animum, ſi miſerum ejus corpus gravioribus & chronicis percellatur morbis. Uno verbo quidquid eſt morborum animi, compeſcere aut ſaltem demulcere poteris; ſi genio non indulgeas; ſed οἰκόσιτος quàm frigidè & parcè victites; ſi nimiùm ſapere nolis; ſi ſolutus omni fœnore paterna rura bobus exerceas tuis: ſi nidulantes in penetralibus diutiùs humores averruncare curaveris; ſi ſalutaribus & benignis irrigata ſuccis nituerint viſcera; ſi bilis ferocia ſileat; ſi ſalſus ichor in venis exundans dulceſcat & ablegetur; ſi pituitæ congeries amandetur, ipſiuſque bilis atræ & teterrimæ ſævitia obtundatur. Quemadmodum enim accenſus ſanguis, & putrefacti humores accommodatis & conducibilibus remediis, cum naturâ redeunt in gratiam, & amiſſa reſtauratur ſanitas; ſic abalienatus crüor, atque animi morborum vi & violentiâ inordinati ſpiritus, depravatique humores, appoſitâ & convenienti diætâ, antiquiore & unicâ olim medicinâ queunt redintegrari; ſic nova laudabiliſque inducitur temperies; ab exquiſito temperamento probi mores, & ab optimis moribus frugi animus, integer vitæ, ſceleriſque purus, atque mens ſana in corpore ſano.

Ergo animi morbis Medicina.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Medicus Regius.
M. Franciſcus Vezou.
M. Claudius Puylon.
M. Claudius Berger.
M. Claudius Biendiſant.
M. Abraham Thevart.
M. Nicolaus Lienard, Cenſor.
M. Philippus Douté.

Proponebat PETRUS GAMARRE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1684